

Bogdan Jankowski

De Eucharistia apud Ignatium Antiochenum

Collectanea Theologica 22/1-4, 42-76

1950-1951

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez **Muzeum Historii Polski** w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

BOGDAN JANKOWSKI

DE EUCHARISTIA APUD IGNATIUM ANTIOCHENUM

ARGUMENTUM:

- I De terminis Ignatianis Eucharistiam designantibus
 - A) „Caro et Sanguis Domini“
 - B) „Panis Dei“
 - C) „Eucharistia“
- II Quid sit Eucharistia secundum Ignatium
- III De Eucharistia et Ecclesiae unitate
- IV De sacrificio eucharistico
- V De Eucharistiae effectu spirituali.

Epistulas Ignatianas imprimis vivum quoddam monumentum esse animi ipsarum scriptoris nemo est qui neget. Inde igitur omnino peculiaris oritur difficultas eas interpretandi, quod aequè vivida ac profunda auctoris sensa obvia verborum significatione contineri vix possunt.¹⁾ Quod cum ita sit, cur et

¹⁾ Qua de re iuvat hic citare illud Patris Lebreton: „...rédigés (des courts billets) en hâte par un martyr, qui marche à la mort et que l'Esprit entraîne irrésistiblement vers le terme désiré... Les lettres syriennes sont d'une spontanéité, toute personnelle; ...De là ces périodes surchargées, comme celles de St Paul, défilant les efforts des traducteurs, mais donnant au croyant la joie de sentir tout près de lui, dans sa sincérité vibrante, une âme pleine du Christ.“ J. Lebreton, Histoire du dogme de la Trinité, Paris³ 1928, 2. 282 sq. Cf. etiam E. Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1909, 1, 510 sq.

quonam sensu de Eucharistia apud Ignatium Antiochenum verba faciam? Certo nimium diceret, qui de „eucharistologia“ quadam Ignatiana loqueretur. Quam ob rem huius dissertationis finis non est aliquod corpus doctrinae Antiocheni Praesulis, hac de re exponere, cum tale quid ex epistulis illis nullo modo deprehendi possit. Plurimae tamen mentiones de sacra synaxi ibi factae tanti sunt pro theologia momenti, ut earum argumentum ab eo, qui tum dogmatum historiae tum originibus rei Christianae investigandis incumbit, plane dignum est, quod consideretur.

I

DE TERMINIS IGNATIANIS EUCHARISTIAM
DESIGNANTIBUS

primo loco tractemus oportet, ut cunctos eosque solos expiscemur locos, quorum nostra intersit. Qua in re habita prae oculis peculiari omnino epistularum Ignatii indole, quam poeticam quadantenus simulque oratoriam haud inepte dixeris, caute procedendum est, ne facilius quam verius ea verba de sacra synaxi prolata esse putemus, quae alia quaedam apud auctorem significant. Altera ex parte cum Ignatium arcanis nonnumquam verbis Eucharistiam designasse apud viros doctos constet³⁾, exquirenda et deinde palam facienda sunt nobis illa vocabula. Quae cum ita sint, accurato vocum et contextus examini insistamus necesse est. Quod quidem hoc modo facturi sumus. Singulos locos Ignatianos, qui spectata obvia verborum significatione ad Eucharistiam alludere videntur, secundum terminos ibi adhibitos disponemus. Deinde hac dispositione peracta in unoquoque genere singulos locos scrutabimur, num reapse de Eucharistia loquantur. Cum vero tractandi ordo liber

³⁾ Cf. G. R a u s c h e n — B. A l t a n e r, Patrologie, die Schriften der Kirchenväter und ihr Lehrgehalt, Freiburg in Br. ¹⁰⁻¹¹ 1931, 63. Huc pertinere videntur „caritas“ (ἀγάπη) et „passio Domini“ (πάθος τοῦ Κυρίου) de quibus infra mentio fiet.

sit, liceat nobis tum terminos tum locos citatos ita apparare, ut, magis magisque crescat eorum momentum.

T e r m i n i c l a r i³⁾ tres inveniuntur apud Ignatium, nempe 1) ipsa vox Eucharistiae (εὐχαριστία), 2) „Panis Dei“ (ἄρτος τοῦ Θεοῦ), 3) „Caro Iesu Christi“ vel „— Domini“ vel „— Salvatoris nostri“ (σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ, — τοῦ Κυρίου, — τοῦ σωτήρος ἡμῶν) et similiter: „Sanguis Iesu Christi“ vel „— Dei“ (αἷμα Ἰ. Χ., — Θεοῦ). Singulos ordine supra proposito examinemus.

A) „Caro et Sanguis Domini“

Qui termini saepius occurrunt et separatim et simul, sed singulis locis alio atque alio sensu intellegendi sunt.

a) Ad Philadelphios 5,2:

„...oratio vestra ad Deum (fusa) perficiet me, ut hereditatem, in qua misericordiam (Dei) consecutus sum, nanciscar, confugiens ad Evangelium velut ad carnem Iesu et ad Apostolos velut ad collegium presbyterorum Ecclesiae“⁴⁾.

Deinde Ignatius, quanti sit momenti amare voces prophetarum Veteris Testamenti et quaenam sit genuina ratio eas interpretandi inculcare pergit. Quae oratio contexta in explananda obscuriore sententia supra citata perutilis est. Sanctus Antistes recurrere vult profecto ad „consolationem Scripturarum“ (Rom 15,4) et quidem imprimis Novi Testamenti: ad Evangelium et ad epistulas Apostolorum. Cur refugium illud tam securum ipsi videretur, duabus comparisonibus illustravit. Nam Evangelium est quaedam Iesu incarnatio, Apostoli vero tanti fuerunt momenti pro universali Ecclesia, quanti est presbyterorum col-

³⁾ Clari dicuntur eo utique sensu, ut ab **a r c a n i s** discernantur.

⁴⁾ „... ἡ προσευχὴ ὑμῶν εἰς Θεόν με ἀπαρτίσει, ἵνα ἐν αὐτῇ κλήρω ἡλεήθην ἐπιτόχω, προσφυγὼν τῷ εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ καὶ τοῖς ἀποστόλοις ὡς πρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας“. Textus citantur sec. editionem F. X. FUNK, Patres Apostolici Tubingae² 1901, 1; (breviter FUNK 1), 268 MG 5,700 RJ 57.

legium pro unaquaque ecclesia particulari.⁵⁾ „Caro Iesu“ hoc loco nihil aliud est ac Iesus Christus, prout reapse vixit his in terris carne humana indutus. Simili modo explicandus videtur locus hic:

Ad Polycarpum 5,2:

„Si quis potest in honorem carnis Domini permanere in castitate, permaneat sine gloriatione.⁶⁾“

Hunc locum ad Eucharistiam spectare vix credi potest. Nam etsi probe admittamus nexum inter Eucharistiam et castam vitam Christianorum caelibum, hoc loco, cur castitatis votum gloriam eucharisticae carnis Christi augeat, minime videmus. Facilius forsitan supponeremus heic de mystico Christi corpore agi, cui proculdubio vita casta splendorem adderet, sed tali interpretationi ipse terminus „caro“ (σάρξ) utpote metaphorica significatione carens⁷⁾ videtur obstare. Remotis igitur istis duabus significatiotnibus non restat nisi tertia, scilicet: verae Iesu Christi carnis terrestris. Cuius carnis gloriam augeri imitatione vitae caelibis atque castae Magistri — videtur esse sensus huius propositionis maxime verosimilis. Quam significationem seu — ut nunc dici solet — aspectum termini *h i s t o r i c u m* fas est nuncupare.

⁵⁾ Cf. T h. Z a h n. Ignatius von Antiochien, Gotha 1849, 431. Qui sensus in recenti versione italica optime manifestatur: „Mio rifugio è il Vangelo, che è per me come la carne di Gesù, è gli Apostoli, che sono per me il collegio presbiterale della Chiesa“. G. B o s i o, I Padri Apostolici — 2 (Corona Patrum Salesiana, 14), Torino 1942, 120.

⁶⁾ „εἴ τις δύνάται ἐν ἀγνείᾳ μένειν εἰς τὴν σὰρξ τοῦ Κυρίου, ἐν ἀκαυχασίᾳ μὲνέτω“. FUNK 1, 264 RJ 67.

⁷⁾ Hic terminus enim primo significat corporis humani vel beluini partes carneas; per synecdochen quidem denotat nonnumquam *c o r p u s*, sed semper sensu concreto, saepe per oppositionem ad animum. Ignatius non ignorat quidem ideam Ecclesiae Corporis Christi mystici (cf. Ephes 4,2; 5,1; Trall 11,2; Smyrn 1,2; 11,2), sed exprimit eam adhibendo voces: „corpus“ (σῶμα, σωματεῖον) et „membra“ (μέλη).

b) Ad Philadelphios inscr.

„...quam (Ecclesiam illius loci) saluto in sanguine Iesu Christi“⁸⁾)

Ad Smyrnaeos 12,2:

„saluto.... singulos et cunctos simul in nomine Iesu Christi et in carne eius et in sanguine, passione atque resurrectione carnali et spirituali, in unitate Dei et vestri“.⁹⁾)

Prior textus brevissimus posteriore illustratur. In utroque certo alluditur ad fidei mysteria, sed ad quaenam — ut accurate respondeatur — ad contextum recurramus oportet. Hac in epistula divus Praesul in eo praecipue versatur, ut a Docetarum erroribus Smyrnaeorum mentes avertat. Ideo et haec salutatio versus epistulae finem expressa veritatem mysteriorum Incarnationis et Redemptionis inculcare dicenda est. Significationem igitur terminorum „carnis et sanguinis Iesu Christi“ ad historicam etiam carnem Salvatoris, sed cum aspectu quodam soteriologico liceat nobis referre. Sensus eucharisticus penitus quidem excludi nequit, sed neque ullo certo indicio manifestatur. Idem fere dicendum est de alio loco desumpto ex eadem epistula (Smyrn 6,1):

„Nemo in errorem inducatur:

Etiam caelicolae,

etiam angeli gloriosi

et principes visibiles et invisibiles,

si in Christi sanguinem non crederent,

rei essent et illi iudicio“.¹⁰⁾)

Hoc loco „sanguis Christi“ — considerato rursus toto epistulae contextu — pretio verae (et non apparentis tantum!)

⁸⁾ „...ἦν ἀσπάζομαι ἐν αἵματι Ἰησοῦ Χριστοῦ“. FUNK 1,264 MG 5,697.

⁹⁾ „ἀσπάζομαι... τοὺς κατὰ ἄνθρωπον καὶ κοινῇ πάντας ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῆ σαρκὶ αὐτοῦ καὶ τῷ αἵματι, πάθει τε καὶ ἀναστάσει σαρκικῆ τε καὶ πνευματικῆ, ἐν ἐνότῃ Θεοῦ καὶ ὁμῶν“. FUNK 1, 268 MG 5, 717.

¹⁰⁾ „Μηθεὶς πλανήσῃ καὶ τὰ ἐπουράνια καὶ ἡ ὄψις τῶν ἀγγέλων καὶ οἱ ἄρχοντες ὄρατοί τε καὶ ἀόρατοι, ἐὰν μὴ πιστεύσωσιν εἰς τὸ αἷμα Χριστοῦ, κἀκείνοις κρίσις ἐστίν“. FUNK 1, 280 MG 5, 712.

Redemptionis equiparari videtur, ideoque significationem historico-soteriologicam induere dicendus est.

c) Ad Ephesios 1,1:

„Dei imitatores, sanguine Dei iterum inflammati opus naturae vestrae consentaneum modo perfecto peregristis“.¹¹⁾

Ad Smyrnaeos 1,1:

„Animadverti enim vos immobili fide esse perfectos veluti clavis confixos cruci Domini Iesu Christi et corpore et spiritu atque sanguine Christi in caritate stabilitos...“¹²⁾

Uterque locus nexum inter sanguinem Christi et caritatem manifestat et ita quidem, ut Christi sanguis veluti causa sit, cur caritas operetur vel animos fidelium perficiat. Qui nexus ad elucidandam significationem hoc loco termini „sanguinis Dei“ non ita parum conferre nobis videtur. In textu posteriore certo Ignatius Smyrnaeorum fidem ab erroribus Docetarum immunem, quae recte Redemptionis dogma tenet, laudibus extollit. Certo etiam adest heic parallelismus quidam poeseos semiticae proprius, quem duo participia („perfectos“ et „stabilitos“) inculcant. Sed nihilominus non omnino eadem ratione — ut opinor — Smyrnaeorum fides refertur ad crucem Domini, i. e. Redemptionis realis dogma, atque ipsorum caritas — ad sanguinem Christi. Cogitando enim veritatem mens reapse, quod fidem attinet, perficitur et dogmati velut configitur, sed — quod caritatem spectat, ut in ipsa fideles sint stabiliti (ἡδρασμένοις = „penitus insidentes“) maior quaedam exigitur causa. Quae est non tantum sanguis Christi olim in cruce effusus, sed idem semper in Eucharistia renovandus. Haec interpretatio et priori textui maiorem vim videtur afferre. Quid enim causae fuit, cur d e n u o inflammarentur

¹¹⁾ „μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ τὸ συγγενικὸν ἔργον τελείως ἀπηρτίσαστε“. FUNK 1, 214 MG 5, 644.

¹²⁾ „ἐνόησα γὰρ ὑμᾶς κατηρτισμένους ἐν ἀκινήτῃ πίστει, ὡς περ καθηλομένου ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ σαρκὶ τε καὶ πνεύματι καὶ ἡδρασμένους ἐν ἀγάπῃ ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ...“. FUNK 1, 274 MG 5, 708 RJ 62.

(ἀναζωπυρήσαντες) Ephesii, nisi ille sanguis Dei eucharisticus, quem denuo semper sumere poterant in Eucharistia? Nisi alios his clariores textus Ignatianos de corpore et sanguine Christi eucharistico haberemus, tunc — ultro concedo — cautius nobis esset interpretandum. Sed in luce aliorum locorum, ad quos transeamus oportet, talis audacior explicatio est verisimilior. Hanc igitur significationem soterio-eucharistiologicam appellare placet.

d) Ad Trallenses 8,1:

„...regeneramini in fide, quod est caro Domini, et in caritate, quod est sanguis Iesu Christi“.¹³⁾

Ad Romanos 7,3:

„...et potum volo sanguinem eius (scil. Iesu Christi), qui (vel: quod) est caritas incorruptibilis“.¹⁴⁾

Primo obtutu utrumque textum significationem quandam symbolicam aut metaphoricam terminorum „corporis et sanguinis Christi“ innuere apparet. Quam ob rem locos illos in nonnullis theologiae dogmaticae manualibus inter „obiectiones“ contra dogma realis praesentiae apud antiquissimos Patres invenimus allegatos.

Ut genuinum utriusque loci sensum simulque terminorum propriam significationem expiscemur, considerandae nobis obveniunt Ignatianae notiones fidei et caritatis. Utraque non semel ab Ignatio inculcatur, at hic textus nostrae quaestioni solvendae perutilis videtur:

„Principium est fides, finis vero caritas. Utraque autem unum effecta est Deus, alia vero omnia ad perfectionem (homini) comitantur“.¹⁵⁾

¹³⁾ „...ἀνακτίσασθε ἑαυτοὺς ἐν πίστει, ὃ ἐστὶν σὰρξ Κυρίου, καὶ ἐν ἀγάπῃ, ὃ ἐστὶν αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ“ FUNK 1, 248 MG 5, 681.

¹⁴⁾ „...καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὃ ἐστὶν ἀγάπη ἀφθαρτος“ FUNK 1, 260 MG 5, 693. Textus hic infra fusius tractabitur, cum de „pane Dei“ sermo occurret.

¹⁵⁾ „ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη. τὰ δὲ δύο ἐν ἐνότητι γινόμενα θεός ἐστιν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκάγαθίαν ἀκόλουθά ἐστιν“ Ephes 14, 1. FUNK 1, 224 MG 5, 656.

Quae sententia est subobscura, at certo in altera propositione copulam „est“ nullatenus easdem coniungere notionesprehendimus. Nemo enim est, qui Ignatium serio fidem caritatemque idem esse ac Deum declarare suspicetur. Alia igitur harum notionum reciproca relatio quaerenda est. Haec paraphrasis forsitan: „fides caritasque est Deus in anima“ vero simillima erit, eo videlicet sensu, quod dum caritas fide nixa adest in anima fideli, ipsam Deus dicendus est inhabitare. Sed quid plura de hoc textu? Ipso citato atque examinato omne temptamen serium eadem faciendi in epistula ad Trall (8, 1) „fidem“ et „carnem Domini“ atque „sanguinem Iesu Christi“ et „caritatem“ (item in Rom 7,3) fundamento carere mihi videtur. Si vero de sensu huius arcanae relationis, quae est inter „carnem et sanguinem Christi“ ex altera et „fidem et caritatem“ ex altera parte, quaeritur, haec fortasse praecedenti similis paraphrasis eum elucidabit: „Regeneramini in fide, quod fit ope carnis Christi, et in caritate, quod fit ope Eius sanguinis.¹⁶⁾ Quam interpretationem, etiamsi non sit unica¹⁷⁾ doctrinae Ignatianae apprime consentaneam esse nemo est qui neget. Quod quidem e locis infra examinandis luculenter patebit. Sed contenderit forsitan quispiam ex illa interpretatione nondum consequi significationem utriusque termini ad Eucharistam spectare, si v. g. agatur de carne et sanguine Christi in cruce olim oblatis. Qui hoc modo arguere conetur, animadvertat — quaeso — heic agi de mentibus regenerandis iterum *ἀνακρίσασθε*). Novo effectui nova quadantenus causa attribuen-

¹⁶⁾ „Fleisch und Blut Christi sind dort... die eigentliche Mittel der durch Glauben und Liebe sich vollziehenden Erneuerung; an eine ernstliche Identificirung der gleichgesetzten Dinge ist da nicht zu denken“. Th. Zahn, Ignatius von Antiochien, op. cit., 349.

¹⁷⁾ Cf. articulum G. B a r e i l l e, Eucharistie d'après les Pères, in DTC 5,1127. In citata iam textus Ignatiani editione G. B o s i o (I Padri Apostolici 2,92) commentatus ad Trall 8,1 refert lectorem ad Clementis Alex., Paedagogum 1,6 (MG 8,295), utpote ad locum similem. Sed haec similitudo externa dumtaxat est: allegorias namque Clementinas, multum distare ab Ignatiana ratione cogitandi manifestum est.

da sit: et ideo regeneratio illa melius — mea sententia — intellegitur, si eam sacrae fidelium synaxeos i t e r a n d a e effectum censemus. Hoc igitur loco significationem terminorum ad Eucharistiam pertinere arbitror.

e) Ceteri loci, ubi termini „carnis et sanguinis Christi“ occurrunt,¹⁸⁾ sed ita, ut cum aliis terminis Eucharistiam designantibus stricte conectantur, infra examinabuntur.

B) „Panis Dei“

in duabus epistulis obvenit.

a) Ad Romanos 7,3:

„Non delector cibo corruptioni obnoxio
neque voluptatibus huius vitae:

Volo panem Dei,

Quod (vel: qui) est caro Iesu Christi,

ex semine David (oriundi),

et potum volo sanguinem Eius,

Quod (vel: qui) est caritas (?) incorruptibilis“¹⁹⁾

Qui locus interpretanti certo difficultatem facessit, cum sat diversa simul enuntientur de isto pane. Orationis enim contextus desiderium moriendi simulque spem fruendi Christo vivide exprimit: et merito dixerit quispiam heic reperi vocem Pauli Apostoli „desiderium habentis dissolvi et esse cum Christo“ (Phil 1,23). At modus, quo idem desiderium ab Ignatio hoc loco exprimitur, sensum huius propositionis ad sola caelestia gaudia Christumque post mortem possessum restringi non sinit. Qui enim totum huius epistulae caput VII legit accurate, facile eius colorem, ut ita dicam, Iohanneum animadvertit.²⁰⁾ Sic et in verbis „panis Dei“ et „ex semine David“ (Ioh. 6,33; 7,42) licet detegere, si non citationem ipsam

¹⁸⁾ Videlicet: Rom 7,3 (de quo mox infra); Philad 4,1; Smyrn 7,1.

¹⁹⁾ „ὁδὲ ἡδόμεαι τροφῇ φθορᾶς οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου. ἄρτον Θεοῦ θέλω ὃ ἐστὶν σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, καὶ πῶμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ. ὃ ἐστὶν ἀγάπη ἀφθαρτος“. FUNK 1, 260 MG 5, 693.

²⁰⁾ Haec dicta sunt Iohannea quae in hoc capite leguntur: ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου — Ioh 12,31; 16,11; ὕδωρ ζῶν — Ioh 4,10 7,38; ἄρτος Θεοῦ — Ioh 6,33; ἐκ σπέρματος Δαβὶδ — Ioh 7,42.

IV-i Evangelii, at certo saltem imaginem vivam vocis Iohanneae e capite VI-o, ubi ab Evangelista sermo Christi in oppido Capharnaum habitus refertur. Hac in luce facilius intellegi potest, quo pacto apud futurum Martyrem desiderium gaudii caelestis ope imaginis cenae eucharisticae exprimat, cum in praedicto sermone IV-i Evangelii nexus hic luculenter pateat.²¹⁾ Sed neque mente concipi potest etiam caelestis delectatio corpore Christi (tamquam p a n e!) Eiusque sanguine (tamquam p o t u!), quae aliquo modo saltem cum Eucharistia non conectatur. Fidem enim in Verbum vere incarnatum, tantopere ab Ignatio contra Docetas inculcatam, panis symbolo vix posse designari patet. Sed si ita esset, absonum quid omnino fieret loqui de fide in gloria caelesti.

Tota haec arguendi ratio etiam contextu confirmatur. Nempe ultima verba: *ὁ ἐστὶν ἀγάπη ἄφθαρτος* accurate scrutanda, quid re vera sibi velint. Et primum quidem animadvertere oportet totam hanc brevem propositionem excipere et quodammodo concludere totam orationem praecedentem minime vero membrum ad propositionem *ὁ ἐστὶν σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ* stricte parallelum constituere. Quod si esset, hoc fere modo concipi posset: „(et sitio potum), qui est sanguis Eius“ Cum vero „potus“ et „sanguis“ in una propositione conectantur, conclusio illa de AGAPE, quod sensum attinet, ad totam imaginem praecedentem merito referenda est, non ad potum, qui est sanguis Christi.

Deinde vocis *ἀγάπη* significatio digna est profecto, quae examinetur. Apud Ignatium enim non solam caritatem vox illa designat, sed etiam una cum verbo *ἀγαπᾶν* et praesertim *ἀγάπην ποτεῖν* ad Eucharistiam potest, immo debet, referri. Quod his locis consideratis patebit:

Ad Smyrnaeos 7,1: *συνέφερον δὲ αὐτοῖς ἀγαπᾶν, ἵνα ἀναστῶσιν* ²²⁾.

Consulto Graeca citamus verba, nam de voce *ἀγαπᾶν* interpretanda inter viros doctos adhuc lis est. Permulti vertunt.

²¹⁾ Cf. Ioh 6,52.55.59.

²²⁾ FUNK 1,280 MG 5,713 RJ 64.

„praestabat autem ipsos caritatem exercere, ut etiam (ipsi) resurgerent“. Sed haec translatio contextui minus apte convenit. Nam hoc in capite carpit Episcopus Docetas, qui fide deficiente ab Eucharistia simul celebranda abstinent ideoque mortis spiritualis se ipsos condemnant. Nexus hic inter vitam et Eucharistiam, deinde poena mortis in spiritu pro ipsa negligenda, rursus IV-um Evangelium referunt.²³⁾ Ergo et haec conclusio sensu plenior et intellectu facilior fit, si de Eucharistia suscipienda loqui admittitur, ut volunt nonnulli viri docti (v. gr. Th. Zahn, J. Tixeront et alii). Quod ita pluribus verbis exprimi potest: „Praestaret ipsos cum caritate Eucharistiae interesse, ut et ipsi resurgerent“. Quem sensum confirmant haec eiusdem epistulae verba, quae paulo post occurrunt:

Ad Smyrnaeos 8,2: οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν²⁴⁾.

In eadem linea ponuntur ab Ignatio duae sacrae actiones, quas sine episcopo nefas est celebrare. Praetermissa heic difficili quaestione, fuerintne iam illis temporibus Christianorum cenae postea agaparum nomine appellatae²⁵⁾ — hoc loco verba ἀγάπην ποιεῖν sacrum eucharisticum designari merito possumus admittere.²⁶⁾ Quae enim et quanta actio — sit venia verbo! — „caritativa“ exigeret episcopum praesidem necnon cum sacro baptisate comparari meretur?

Si igitur — uti patet — termini: ἀγάπη, ἀγαπᾶν, ἀγάπην ποιεῖν nonnumquam apud Ignatium ad Eucharistiam spectant, loco supra considerato (Rom 7,3), nempe in ipsa orationis conclusione, vocem ἀγάπη eodem sensu convertere licet. Totum igitur

²³⁾ Cf. Ioh 6,52.55.59.

²⁴⁾ FUNK 1,282 MG 5,713 RJ 65.

²⁵⁾ Cf. P. Batiffol, Agapes, in DTC 1,552 ubi coniectura Th. Zahn refutatur. Nihilominus articuli auctor ultro concedit nomine ἀγάπης heic venire Eucharistiam utpote cum c a r i t a t e stricte conexam.

²⁶⁾ Hac in re assentimur opinioni Fr. X. F u n k (1,283) et P. B a t i f f o l, Études d'histoire et de théologie positive, I-re série, Paris⁴ 1906,297. Prorsus contrariam profitetur E. B a u m g a r t n e r, Eucharistie und Agape im Urchristentum, Solothurn 1909, 228—247.

textum verbis Latinis hoc modo reddere possumus: „Cibo corruptibili minime delector, sed neque voluptatibus ullis huius vitae, (nam) desidero panem Dei, id est carnem Iesu Christi, qui est ex semine David, et tamquam potum desidero sanguinem Eius; quod quidem (utrumque) est (vel: erit) veluti cena eucharistica sine fine“.²⁷⁾ Haec Ignatiana conceptio, IV-i Evangelii doctrinam referens, clarius paulatim evolvetur et hanc in liturgia eucharistica Ecclesiae Romanae nanciscetur formulam: „F a c n o s , q u a e s u m u s D o m i n e , d i v i n i t a t i s t u a e s e m p i t e r n a f r u i t i o n e r e p l e r i : q u a m p r e t i o s i C o r p o r i s e t S a n g u i n i s t u i t e m p o r a l i s p e r c e p t i o p r a e f i g u r a t . “²⁸⁾ Hanc igitur significationem termini „panis Dei“ fas est eucharistio-eschatologicam nuncupare.

b) Ad Ephesios 5,2:

„Nemo in errorem inducatur! Si quis intra altare non sit, pane Dei privatur“.²⁹⁾

ibidem, 20,2:

„Unum panem frangentes, qui est immortalitatis medicamentum, antidotum, ne quis moriatur, sed vivat semper in Iesu Christo“.³⁰⁾

²⁷⁾ Haec interpretandi ratio a viris doctis admittitur. „Gewiss ist zunächst aus dem Zusammenhang, dass hier nicht vom Abendmahl, sondern von denjenigen Genuss der Gemeinschaft mit Christus die Rede ist, zu welchem Ignatius durch den Märtyrertod zugelingen hofft; aber ebenso deutlich ist auch, dass die Bilder hierfür vom Abendmahl entlehnt sind“. Th. Z a h n , Ignatius von Ant., op. cit., 349. Similia legimus: „Imagines... quibus utitur, de eucharistia desumptae sunt“. F. X. F u n k , Patres Apostolici, op. cit., 1,261. Sed — ut opinor — ulterius progredi licet, nempe admittendo heic Ignatium de utraque communione simul loqui: et temporali et aeterna, seu — ut ita dicam — alteram imaginem alteri superimponi, quod saepius apud nostrum auctorem occurrit, ut infra patebit.

²⁸⁾ Missale Romanum, Festum Ssmi Corporis Christi — postcommunio.

²⁹⁾ μηδεις πλανήσω εαν μή τις ή εντός τοῦ θουιαστηρίου, ὡς πρεΐται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ“. FUNK 1,216 MG 5,649.

³⁰⁾ „...ένα ἄρτον κλωντες, ὅς ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μή ἀποθαιεΐν, ἀλλά ζήν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διά παντός“. FUNK 1,230 MG 5,661 RJ 43.

Consulto utrumque locum simul citamus, nam posterior priorem illustrat, utpote qui certo certius de Eucharistia modo Iohanneo loquatur ³¹⁾ nedum ad eucharisticam „fractionem panis“ non semel in Novo Testamento occurrentem haud dubie aludat.³²⁾ Si igitur posterioris textus sensus certo pertinet ad Eucharistiam, etiam prior textus in eadem epistula occurrens simili ratione explicandus videtur. Nonnulli enim „panem Dei“ hoc loco unionem fidelium unius Ecclesiae cum Christo capite invisibili designare putant.³³⁾ At explicatio ista minus aequo propositionis sensum attenuat, cum eam modo vago atque generali exponit. Nam etsi ultro concedi potest vocem *θυσιαστήριον* referri imprimis ad Ecclesiam, i.e. coetum fidelium,³⁴⁾ at neque significatio „altaris“, alibi manifesta,³⁵⁾ penitus hoc loco excludi potest. Optime enim poterat Ignatius verba haec scribens animo fingere duplicem imaginem: catervam nempe fidelium ad cenam eucharisticam in unum collectam tamquam signum unionis eorum inter se et cum Christo. Et reapse Docetas dissidentes etiam ab usu Eucharistiae abstinuisse ipsemet Ignatius docet nos in epistula ad Smyrnaeos scripta (7,1), quem praestantissimum locum mox infra explicaturi sumus. Quae cum ita sint, „panem Dei“ more IV-i Evangelii Eucharistiae nomen esse arbitramur.

C. „EUCCHARISTIA“

Vox illa Graeca labentibus saeculis vim termini — ut aiunt — technici, quo augustissimum sacramentum designatur, obtinuit. Sed significationis primigeniae, scilicet „gratiarum actionis“ ³⁶⁾ meminisse iuvat, dum considerandi obveniunt tex-

³¹⁾ Cf. Ioh. 6,47—59.

³²⁾ Sensum certo eucharisticum prae se ferunt loci: Mt 26,26; Mc 14, 22; Lc 22,19; Act 2,42; 20,7,11; 1 Cor 10,16; 11,24.

³³⁾ Cf. G. B a r e i l l e, *L'Eucharistie...*, art. cit., DTC 5,1127.

³⁴⁾ Cf. Trall 7,2.

³⁵⁾ Cf. P h i l a d 4,1.

³⁶⁾ Hanc primigeniam „grates agendi“ significationem semper apud Ignatium prae se fert verbum *εὐχαριστεῖν* (cf. Philad 6,3; 11,1; Smyrn 10,1).

tus pervetusti, ut sunt Ignatiani. Itaque locus hic ex epistula:

a) Ad Ephesios 13,1:

„Σπουδάσετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ εἰς δόξαν. ὅταν γὰρ πυκνῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνεσθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ σατανᾶ, καὶ λύεται ὁ ὄλεθρος αὐτοῦ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ὑμῶν τῆς πίστεως“³⁷⁾

ita ambigui est sensus, ut eum legentes, utrum de simplici fidelium concione, in qua grates Deo persolvantur, an de peculiari quodam ritu et — spectato ipsius effectu mirabili — maximi momenti heic agatur, certo decernere non possimus. At non desunt, qui sacram synaxim etiam hoc loco designatam esse arbitrentur.

b) Ad Philadelphios 4,1:

„Curate, ut una eucharistia utamini: una est enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix uniendo Sanguini Eius, unum altare, sicut unus episcopus una cum presbyterorum collegio et diaconis, conservis meis...“³⁸⁾

Ad Smyrnaeos 7,1:

„Ab eucharistia et oratione abstinere (Docetae), cum non confiteantur eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Iesu Christi, passam pro peccatis nostris, quam Pater in bonitate sua suscitavit: donum igitur Dei negantes moriuntur scrutando“³⁹⁾

Ibidem 8,1:

„Illa eucharistia censeatur valida, quae fit episcopo duce vel (ab eo) cui ipse praecipiat“⁴⁰⁾

³⁷⁾ FUNK 1,224 MG, 5,656. Cur La'ine non reddamus, patet.

³⁸⁾ „Σπουδάσατε οὖν μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἐν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἐν θυσιαστήριον, ὡς εἰς ἐπίσκοπος ἅμα τῶν πρεσβυτέρῳ καὶ διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου“. FUNK 1,266 MG 5,700 RJ 56.

³⁹⁾ „Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σὰρξ εἶναι τοῦ σωτήρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χορηγητικῇ ὁ πατήρ ἤγειρεν. οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ Θεοῦ συζητοῦντες ἀποθνήσκουσιν“. FUNK 1,280 MG 5,713 RJ 64.

⁴⁰⁾ „ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία, ἣ γείθω, ἣ ὑπὸ ἐπισκόπου οὔσα ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ“, FUNK 1,282 MG 5,713 RJ 65.

De loco ultimo sane dubitari possit, de quam accurate actione liturgica loquatur, sed ipse sat illustratur textu praecedenti ex eadem epistula paulo supra desumpto.

Duo loci priores proculdubio de Eucharistia nostro modo concepta, sed alio atque alio — ut aiunt — aspectu sumpta, quaedam maximi momenti enuntiant. Prior de *a c t i o n e* potius loquitur, de eo, quid Eucharistia *c o n t i n e a t* — posterior. Utrumque locum igitur in altera dissertationis huius parte penitius examinabimus. Nunc significationem „technicam“ stabiliendam curamus.

Primo obtutu hi duo loci priores tam clare ad Eucharistiam pertinere videntur, ut miretur quispiam, cur tali quaestioni diutius immoremur. At non defuerunt, qui in textu secundo vocem eucharistiae eo sensu intellegerent, ac si coetum fidelium seu Ecclesiam designaret.⁴¹⁾ Iis, qui hanc suppositionem non immerito irriserunt propter mentionem carnis „passae pro peccatis“ omnino neglectam,⁴²⁾ libenter assentimus.⁴³⁾ Reliqua vero dubia, quae sane de ipsa doctrina Ignatiana oriri possint et orta sunt re vera, in alteram dissertationis partem relegamus. Nunc satis est nobis, si Ignatium vocis eucharistiae nostro sensu acceptae non ignarum fuisse constat adeo, ut vox illa vim termini quadantenus theologici apud eum videatur habere.

⁴¹⁾ „Sie halten sich von *D a n k s a g u n g* und Gebet ferne, weil sie nicht zugeben, dass die *G e m e i n d e v e r s a m m l u n g* unter Leitung des Bischofs Fleisch Jesu Christi, d.h. die sichtbar gewordene *ἐκκλησία* sei“. A. A n d e r s e n, *Das Abendmahl in den 2 ersten Jahrhunderten nach Christus*, (Giessen 1906), 78.

⁴²⁾ „...ces mots suffisent pour rappeler à qui l'oublie le réalisme intransigeant d'Ignace“. J. L e b r e t o n, *Histoire du dogme de la Trinité Paris*² 1928, 2,288 n.l.

⁴³⁾ Et omnino quilibet conatus supponendi voci Eucharistiae aliam ac sacrae synaxeos significationem (v. g. „fidei“, „confessionis“, „orationis communis“ etc.) nihil proficit. Quod facile experimur: si terminos istos voci Eucharistiae heic substituimus, semper ineptum quid inde consequitur.

II

QUID SIT EUCHARISTIA SECUNDUM IGNATIUM

Stabilitis terminis propriis Eucharistiam apud Ignatium designantibus simulque velut per transennam conspectis singulis locis, ubi de ipsa quaedam summi momenti sunt enuntiatæ, nunc varia hæc elementa in unum colligamus oportet respondendo primum, quid sit Eucharistia.

Eorum, quæ de Eucharistia habet Ignatius, summa hoc fere modo describi potest. Celebratur sacrum liturgicum, cui praeest episcopus vel qui ipsius locum tenet; est Eucharistia remedium immortalitatis, cum det vitam — sicut docet Evangelium Iohanneum capite sexto; cum denique una sit tum Eucharistia tum Christi caro, quodam modo eucharisticus panis coniungitur cum Christi carne, cum Eius sanguine autem — calix.⁴⁴⁾ Sed descriptio ista, cautius quam penitus concinnata, tantum abest, ut quaestioni quid sit Eucharistia respondeat, ut rem maximi momenti prorsus neglegat. Quam rem recentioris ætatis theologi realem Christi præsentiam eucharisticam appellarunt.

Quaestio, num Ignatius Antiochenus realem Christi præsentiam in Eucharistia professus sit in suis epistulis, nonnullis supervacanea fortasse videtur, nam textus supra allati, qui vocem *εὐχαριστία* continent, perquam clari apparent.⁴⁵⁾ An non de-

⁴⁴⁾ „Les textes nous montrent d'abord que l'Eucharistie est faite, célébrée, consacrée, en une cérémonie liturgique que préside l'évêque ou son représentant: elle n'est donc pas un acte profane ou indifférent. Puisque l'Eucharistie est un remède l'immortalité: elle préserve contre la mort et donne la vie; nous retrouvons ici l'idée que développe le chapitre VI de l'évangile de St. Jean. Enfin que l'Eucharistie est une, comme une est la chair du Christ; il y a donc un rapport entre le pain eucharistique et la chair du Christ, entre calice et le sang du Christ.“
E u c h a r i s t i a, Encyclopédie populaire sur l'Eucharistie, publiée sous la direction de M. B r i l l a n t, Paris 1934, 42.

⁴⁵⁾ Quod non solum Romanae Ecclesiae theologorum, sed etiam acatholicorum oculos percellit ita, ut v.g. Th. Zahn et A. Harnack valde — sit venia verbo recentiori — „realistic“ Ignatium sensa sua de Eucharistia expressisse concedant.

fuerunt viri docti, qui fidem hanc aut omnino Ignatio abroga-
verint ⁴⁶⁾ aut saltem alio quodam modo conati sint explicare.
Quam ob rem loci illi praestantissimi denuo nobis et quidem
alia ratione sunt examinandi. Iam enim non agitur, *u t r u m*
de Eucharistia sint intellegendi, sed quid de ipsa auctor senserit.

In admittenda apud Ignatium fide, qua reslem Christi
praesentiam crediderit, summa difficultatum a nonnullis aucto-
ribus in lingua Antiocheni Antistitis plerumque ponitur. Quae
quidem — aiunt — tam figurata est et adeo imaginibus scatet,
ut vix quicquam certo de argumento theologico definiri possit.⁴⁷⁾ Sed contra — prae oculis habendum est, quantopere
Ignatius a quarto Evangelio in sua theologia dependeat. Utrim-
que reapse adsunt metaphorae audaces, sed eadem ratione apud
utrumque scriptorem omnes verborum translationes omnesque
imagines rebus valide nituntur. Quam ob rem neque Iohan-
neus neque Ignatianus dicendi modus ad purum aut vagum —
ut aiunt — symbolismum recte reduci potest.⁴⁸⁾

Quam explicationem symbolicam experiamur in textu:

„Ab Eucharistia et oratione abstinent (Docetae), cum
non confiteantur eucharistiam esse carnem Salvatoris

⁴⁶⁾ Cf. supra pag. 56 ad ⁴¹⁾ allegatam opinionem. A. A n d e r s e n.

⁴⁷⁾ Haec fuit inter theologos catholicos opinio Petri B a t i f f o l. Magister ille egregius non tantum textus, quos ambiguos vocavimus, negat de Eucharistia esse prolatos, verum etiam praestantissimos in dubium revocavit. Labentibus annis pristinum sententiae suae rigorem mitigavit hunc in modum: „St. Ignace a un langage eucharistique..., mais ces termes sont appliqués par lui dans une acception figurée à d'autres que ce sacrement. St. Ignace est ainsi un bon témoin, encore que pas in l i n e a d i r e c t a, de la présence réelle. Nous dirons donc que la formule ignatienne: L'Eucharistie est la chair du Christ est vraie de l'eucharistie, encore que, dans le passage où il l'emploie, Ignace l'applique à l'unité de l'Église“. P. B a t i f f o l, Nouvelles études documentaires sur la Ste Eucharistie, Revue du Clergé Français 15 (1908) 520. Pristinam opinionem cf. Études d'histoire et de théologie positive, Paris³ 1906, 2. série, 117—127.

⁴⁸⁾ Cf. J. L e b r e t o n, Histoire du dogme de la Trinité, op. cit., 2, 288 n. 1.

nostri Iesu Christi, passam pro peccatis nostris, quam Pater in bonitate sua suscitavit: donum igitur Dei negantes moriuntur scrutando“ (Smyrn 7,1).⁴⁹⁾

Duo in textu hoc cuilibet symbolicae carnis Christi interpretationi prorsus sunt contraria:

1) Caro Christi in Eucharistia est eadem vera eius caro, quae in cruce passa est, mortua et deinde a Patre resuscitata. Caro figurate sumpta vix dici potest pati et resurgere.⁵⁰⁾ Sed obiciet quispiam de mystico Christi corpore nos interdum loqui solere ac si Christus in animis fidelium patiatur, moriatur, resurgat. Utique, sed utrum Ignatio tam evoluta idea mystici corporis Christi nota iam fuerit, merito dubitari potest, et — si quis nihilominus contenderet — contra hunc conatum inculcandum est heic alludi ad *u n i c u m* Redemptionis factum: „passam pro peccatis nostris“. Qua in re Ignatius refert vivam vocem theologiae Novi Testamenti, Paulinae praesertim et Iohanneae.⁵¹⁾ Et sicut locos illos Novi Testamenti, eadem ratione — scilicet sensu maxime obvio, realem praesentiam admitendo, et hos locos Ignatianos interpretemur necesse est.

2) Si placita Ignatii, quae genuinam Ecclesiae catholicae doctrinam illis temporibus fideliter referebant, symbolismo in

⁴⁹⁾ Textum Graecum cf. supra pag. 55 ad ³⁹⁾.

⁵⁰⁾ Cf. Fr. S. Renz, *Opfercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der ersten drei Jahrhunderte*, Paderborn 1892, 38.

⁵¹⁾ Quod Pauli doctrinam attinet, in memoriam revocare iuvat imprimis consecrationis formam Paulinam; nempe nexum Eucharistiam inter et mortem Redemptoris: 1 Cor 11,24—26, Lc 22,19 sq, ubi repetitur pluries illud *ὑπὲρ* occurrens in textu Ignatiano. Apud Iohannem idem *ὑπὲρ* invenimus: 6,51(52). Mentio expressa peccatorum invenitur apud Mt 26,28: *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*.— Non est dubium, quin uterque locus tum Paulinus tum Iohanneus realem Christi praesentiam eucharisticam affirmet: „Les termes employés par St Paul, comme les formules d'institution, sont d'une clarté qui ne laisse pas de doute sur la présence réelle du Seigneur dans le sacrement“ J. H u b y, *Saint Paul I-e Épître aux Corinthiens*, Paris 1946, 269; de Iohanne vero: „(Jésus) ne dissipe pas une équivoque, qui ne pouvait se produire...“ J. B o n s i r v e n, *Les enseignements du J.-C.*, Paris⁸ 1950,277.

concipienda Eucharistia favissent, tunc Docetarum a celebranda sacra synaxi abstinencia, et quidem non tantum schismatica, verum etiam haereticalis — ut patet — vix potuisset explicari. Supposito enim symbolismo apud Ignatium Doctae, nedum abhorrentes, immo vero e contra symbolico Eucharistiae concipiendae modo quam maxime applausissent.⁵³⁾ Reiecta igitur interpretatione pure symbolica, quaestioni, cur divus Antistes Eucharistiam esse carnem Iesu Christi dixerit, non restat nisi hoc responsum: nam *r e a l e m* praesentiam profitebatur.

Sed ulterius quaeri potest, quem in modum secundum Ignatium sit Christus praesens in Eucharistia. Revocemus in memoriam alterum locum:

„Curate, ut una Eucharistia utamini: una est epim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix uniendo sanguini Eius et unum altare, sicut unus episcopus una cum presbyterorum collegio et diaconis, conservis meis“.⁵³⁾

Ut unitatem, de qua haec agitur, recte intellegamus satius est etiam tertium locum simul ob oculos ponere:

„Illa Eucharistia censeatur valida, quae fit episcopo duce vel (ab eo), cui ipse praecipiet“.⁵⁴⁾

Sensus igitur hic est: in legitima Eucharistia, i.e. celebrata praesente vel mandante episcopo, adest caro Christi et calix aptus, qui nos cum sanguine Christi coniungat (*εις ενωσιν του αιματος αυτου*). Inculcatur namque non unica caro Christi (quam tunc sane nemo in dubium vocabat, quod attinet nempe Iesum historicum, unicam fuisse), sed unica occasio valide communicandi cum carne et sanguine Christi in valido sacro, quod pe-

⁵³⁾ „In diesem Falle müssten sie (die Doketen) gerade in der Eucharistie den verkörperten Dokerismus finden. Die Sache liegt vielmehr so: Die Eucharistie beweist direkt gegen den Dokerismus; denn was jene real objektiv ist, das leugnet dieser, nämlich das wahre lebendige Fleisch Christi, das für unsere Sünden gelitten hat.“ Fr. S. R e n z, Opfercharakter der Eucharistie, op. cit., 38.

⁵³⁾ Philad. 4,1 — textum Graecum cf. supra, 55 ad ³⁸⁾.

⁵⁴⁾ Smyrn 8,1 — Graece supra, 55 ad ⁴⁰⁾.

ragit episcopus.⁵⁵⁾ Unimur ergo cum Christi carne et sanguine secundum Ignatium praesertim ea ratione, quod Christus vere — hodie dicamus: o b i e c t i v e vel substantialiter, ibi adest. Si igitur a Christo imprimis, non a fidelium frequentia et unione, dependet eucharistica eius praesentia, merito concludi potest Ignatium non virtuales, sed substantialem modum huius praesentiae profiteri.⁵⁶⁾

Et plura quidem de ipso huius praesentiae modo apud Ignatium vix possunt inveniri ob textuum paucitatem. Ut tamen quaestioni huic solvendae finem ponamus, ea, quae supra expositis conclusionibus obiciuntur, breviter examinemus oportet. Quae his duobus constant: 1) vocabulum Eucharistiae etiam ad orationem designandam usurpari, 2) terminum hunc consecratas panis et vini species significare vix posse probari.⁵⁷⁾ Utrique obiectioni respondeamus necesse est.

Ac primum quidem multum abest, ut ab Ignatio εὐχαριστία vocabulum idem significans ac „oratio“ sit usurpatum. Iuxta-ponuntur reapse in textu:

„Ab Eucharistia et oratione abstinere (Docetae)...⁵⁸⁾ sed hoc, nedum labefactet, immo vero extollit significationem peculiarem vocabuli prioris. Iure meritoque enim Th. Zahn⁵⁹⁾ vocabulis Ignatianis προσευχή et δέησις designari existimat quamdam functionem sacram ad Eucharistiam veluti parallelam,

⁵⁵⁾ Idem consequi videtur e textu iam supra allato: „Si quis intra altare non est, pane Dei privatur“ (Ephes 5,2 — textum Graecum cf. supra, 53 ad ²⁹⁾).

⁵⁶⁾ Cf. Fr. S. R e n z, Opfercharakter..., op. cit., 38.

⁵⁷⁾ „...il faudrait qu'il (Rauschen) eût établi au préalable que chez St. Ignace le mot εὐχαριστία désigne le pain et le vin consacrés... Comme, par ailleurs, Ignace fait du mot „eucharistie“ le synonyme de prière, et de „chair du Christ“ le synonyme du Christ, on comprend que ce texte ignatien, d'apparence si expressive, perd beaucoup de sa signification quand on l'entend en connaissance du style d'Ignace, et ses pensées maîtresses.“ P. B a t i f f o l, Nouvelles études documentaires, art. cit., 519.

⁵⁸⁾ Smyrn 7,1; textum Graecum cf. supra, 55 ad ²⁹⁾).

⁵⁹⁾ Cf. Ignatius von Antiochien, op. cit. 341.351.

sed ab ipsa distinctam. De quo ritu Traianum certiore facere videtur Plinius Minor.⁶⁰⁾ Si igitur „oratio“ illa (προσευχή vel δέησις non quamlibet generatim sumptam designat orationem sed peculiarem functionem liturgicam, ergo vocem Eucharistiae aequo iure speciale quoddam sacrum significare admittimus, praesertim cum tota oratio contexta id omnino suadeat. Quod vero ipsa vox Eucharistiae alio loco — uti ultro concessimus — ambiguae est significationis, nempe in epistula ad Ephesios 13,1⁶¹⁾, nullatenus vim probativam textus praestantissimi (Smyrn 7,1) potest minuere. Nam nostra interest probare vocem hanc interdum saltem idem designare ac nos solemus hoc vocabulo nuncupare, scilicet sacram synaxim, non vero „eucharistiam“ apud Ignatium esse accuratissimum terminum technicum. Nimium sane exigeret, qui apud hunc antiquissimum fidei testem elaboratas modo theologico quaereret notiones. Probe autem recordemur oportet primigeniam illam theologiam usurpasse vocabula iam usu cotidiano nota, sed sensu quodam modo diversa, et quidem promiscue ita, ut semper, quonam sensu essent intellegenda, contextus dirimeret.

Obicitur deinde vocabulo eucharistiae consecratas panis et vini species designatas vix constare. Cui sententiae, si solos tres textus vocem eucharistiae continetes,⁶²⁾ respicimus, liben-

⁶⁰⁾ „Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Chris'o quasi deo dicere secum invicem... Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse r u r s u s q u e coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; P l i n i u s M i n o r, Epistularum liber 10,96, ed. M. Schuster, Lipsiae 1933 cf. K i r c h, Enchiridion fontium historiae eccl. antiquae, 30. Secundam opinionem Th. Z a h n prima fidelium contio in relatione Pliniana „orationi“ apud Ignatium respondet, altera vero Eucharistiae. Alio modo Plinium intellegit E. B a u m g a r t n e r Eucharistie und Agape im Urchristentum, Solothurn 1909,270; Nihilo minus et hic auctor sacra distincta admittit, quorum primum est eucharisticum.

⁶¹⁾ Cf. textum Graecum supra, 55.

⁶²⁾ Cf. Philad. 4,1 Smyrn 7,1 et 8,1, quos Graece citatos supra invenies, pag. 55.

ter assentimur. At loci illi, praestantissimi quidem, non sunt tamen soli, qui de Eucharistia apud Ignatium testentur. Et nunc omnes illos locos, quos in prima dissertationis parte examinatis singulis vocabulis de Eucharistia loqui stabilivimus, in memoriam revocemus oportet, quatenus de speciebus eucharisticis mentionem faciant.

Primam speciem eucharisticam esse *p a n e m* patet ex his:

„Volo panem Dei, quod (vel: qui) est caro Christi“ (Rom 7,3).⁶³⁾

„Si quis intra altare non sit, pane Dei privatur“ (Ephes 5,2).⁶⁴⁾

„Unum panem frangentes, qui est immortalitatis medicamentum, antidotum, ne quis moriatur, sed vivat semper in Iesu Christo“ (ibidem 20,2).⁶⁵⁾

Alteram vero speciem nullibi quidem proprio appellatur nomine, sed de ipsa hoc modo fit mentio:

„...et *p o t u m* volo sanguinem Eius...“ (Rom 7,3)⁶⁶⁾

„...et *u n u s c a l i x* uniendo Sanguini eius, unum altare, sicut unus episcopus...“ (Philad. 4,1).⁶⁷⁾

Est igitur potus quidam ex calice in altari posito bibendus. Si heic ageretur de arcano quodam ritu religionis prorsus ignotae detegendo, cautissime profecto conaremur aenigma suppositionibus solvere. At si considerandus nobis proponitur testis fidei vigilantissimus multiplici vinculo et cum theologia Novi Testamenti et cum ceteris primigeniis Christianorum scriptis conexus, solutio aenigmatum, de quanam altera specie loquatur Ignatius, vix quicquam affert difficultatis. Veluti opus quoddam musivum, quod imaginem bene nobis aliunde notam prae se ferat, reparantes, unum, qui desit, calculum secure,

⁶³⁾ Cf. textum Graecum supra, 50 ad ¹⁹⁾.

⁶⁴⁾ Cf. textum Graecum supra, 53 ad ²⁰⁾.

⁶⁵⁾ Cf. textum Graecum supra, 53 ad ³⁰⁾.

⁶⁶⁾ Cf. textum Graecum supra, 50 ad ¹⁹⁾.

⁶⁷⁾ Cf. textum Graecum supra, 55 ad ³⁰⁾.

i. e. sine errandi periculo, possint restituere, ita et nos eodem iure heic v i n i calicem supponendum arbitramur.

Hoc igitur modo ea, quae de reali praesentia eucharistica apud Ignatium in dubium vocabantur, satis videntur esse explicata.

In unum ergo colligentes ea, quae quid esset Eucharistia secundum Ignatium investigantes supra exposuimus, ita diffinimus: est Eucharistia ritus quidam sacer (liturgicus), episcopo vel legitimo eius delegato praeside faciendus, in quo sub duabus, speciebus, panis videlicet et potus (vini) in calice, gustanda proponuntur: caro et sanguis Iesu Christi, Redemptoris iam gloriosi. Et quidem ab Ignatio affirmatur praesentia Christi realis et substantialis.

III

DE EUCHARISTIA ET ECCLESIAE UNITATE

Soluta quaestione omnium prima, quid videlicet sit Eucharistia, ordinem non hunc, quem libri theologici nunc prae se ferre solent, sed talem, qui apud Ignatium ipsum, quanti sit momenti unaquaeque quaestio exhibeat, servaturi primo loco nexum Eucharistiam inter et Ecclesiae unitatem stabilendum curabimus.

Recentioris aetatis theologi de nexu illo in exponenda doctrina de Eucharistia non ita multa habent. Qui nimirum inde a temporibus Concilii Tridentini Protestantium nova commenta refutantes inculcant ea, quae ad realem praesentiam, fructus spirituales in mentibus singulorum, adorationem specierum pertinent. E contra Ecclesiae primigeniae doctores theologica rerum particularium investigatione nondum incepta dogma Eucharistiae vividiore quodam nexu cum Incarnatione, Redemptione, Ecclesia soliti sunt coniungere ita, ut imprimis Corpus Christi mysticum et Eiusdem eucharisticum Corpus reciproca in relatione elucerent. Quod eo facilius fieri poterat, quo sacram liturgiam omnes et singuli fideles simul et quidem lingua patria exercentes melius intellegebant.

Non semel iam citavimus haec Ignatii verba:

„Curate, ut una eucharistia utamini: una est enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix uniendo sanguini Eius, unum altare, sicut unus episcopus una cum presbyterorum collegio et diaconis, conservis meis“. (Philad 4,1).⁶⁸⁾

sed nunc nexum, de quo agitur, inculcemus necesse est.

Quem in aliis iisque antiquioribus scriptis primae Ecclesiae aetatis licet deprehendere. Ita iam in Novo Testamento quanti esset momenti pro Ecclesiae unitate significanda et efficienda sacra synaxis, docuit nos Paulus Apostolus: „Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus“ (1 Cor 10, 17).⁶⁹⁾ Quod Paulus breviter, fusius tractat „Doctrinae XII Apostolorum“ auctor: „Sicut hic panis fractus est unus, ita colligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum;“ (Did. 9,4).⁷⁰⁾ In utroque loco ipsa prima species eucharistica, nempe panis, qui est aliquid ex multis compositum significat unionem fidelium reciprocam. Haec igitur notio Eucharistiae utpote rei, quae unionem significat simulque perficit communis est — ut recte animadvertitur ⁷¹⁾ — utriusque textus citati et sententiae Ignatiannae Sed etsi similitudo haec generalis indubie manifestetur, tamen notae omnino peculiare apud Ignatium non sunt praetermittendae.

Quarum plurimi aestimare oportet eas, quae ad unitatem liturgicam simul et hierarchicam pertinent. Si enim tantopere Ignatius in textu hoc inculcat unitatem carnis et sanguinis Christi, dum vocem „u n a“ pluries repetit, non sua interest materiae seu specierum eucharisticarum, ut supra apud Paulum et in „Doctrina“, unitatem — ut ita dicam collectivam ef-

⁶⁸⁾ Cf. Graecum textum supra, 55 ad ³⁸⁾.

⁶⁹⁾ Clarius res e textu primigenio elucet: ὅτι εἷς ἄρτος, ἐν σώμα οἱ πολλοὶ ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἐνὸς ἄρτου μετέχομεν.

⁷⁰⁾ „ὡςπερ ἦν τοῦτο τὸ κλάσμα διεσκορπισμένον ἐπάνω τῶν ὁρέων καὶ συναχθὲν ἐγένετο ἓν, οὕτω συναχθήτω σου ἡ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς εἰς τὴν σὴν βασιλείαν“. (9,4) FUNK 1,22 RJ 6.

⁷¹⁾ Cf. A. d'A l è s, Eucharistie, Paris 1933,142.

ferre, sed potius explanare vult unicam communicandi cum corpore et sanguine Christi occasionem esse sacrum liturgicum a legitimo praesule celebrandum, cui sacro cunctos simul fideles eodem loco interesse oportet.

Qua in re quid fas et quid nefas sit agere, monet Ignatius:

„Illa eucharistia censeatur valida, quae fit episcopo duce vel (ab eo), cui ipse praecipiat... Sine episcopo non licet neque baptizare neque agapen (eucharisticam) facere ⁷²⁾).

Quanta autem damna patiantur, qui hac unitate neglecta abstinere ab eucharistia simul celebranda et sumenda, colligimus ex his:

„Nemo in errorem inducatur! Si quis intra altare non sit, pane Dei privatur ⁷³⁾).

„Panem Dei“ Eucharistiam significare iam pro comperto habemus, sed de quonam altari loquitur Ignatius? Forsitan rem elucidabit hic locus:

„Qui intra altare est, mundus est;
qui vero extra altare est, non est mundus;
hoc est:

qui sine episcopo et presbyterorum collegio et diaconis quicquam agit,
hic non est mundus in conscientia“ ⁷⁴⁾).

Cautius interpretantes, vocabulum „altaris“ totam cuiuslibet loci ecclesiam designare opinamur. Sed exinde, quantopere in mente Ignatii ecclesiae unitas hierarchica cum liturgica unitate conexas sit, facile animadvertimus, nam ex liturgia desumpta imagine usus est, ut moralem oboedientiae unionem exprimeret.

⁷²⁾ Smyrn 8,1,2 passim: cf. Graece supra, 55 ad ³⁹⁾, et 52, quo ultimo loco haec ratio interpretandi defenditur.

⁷³⁾ Ephes 5,2: Graece cf. supra, 53 ad ²⁹⁾).

⁷⁴⁾ „ὁ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου ὢν καθαρὸς ἐστίν, ὁ δὲ ἐκτὸς θυσιαστηρίου ὢν οὐ καθαρὸς ἐστίν. τοῦτ' ἐστίν, ὁ χωρὶς ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτηρίου καὶ διακόνων πράσων τι, οὗτος οὐ καθαρὸς ἐστίν τῇ συνειδήσει“. Trall 7,2 FUNK 1,246/8 MG 5,680 RJ 50.

Ex quibus patet, cur Ignatius Docetas ab Eucharistia simul cum ceteris fidelibus celebranda abstinentes tam vehementer arguerit (Smyrn 7,1): Eucharistia centrum est unitatis concordiaeque in Ecclesia ⁷⁵).

Eucharistiam inter Christianos vinculum esse reciprocum inde ab initio credidit Ecclesia. Sed apud Antiochenum Antistitem primo invenimus momentum liturgicum et hierarchicum tantopere inculcatum et ita conexum, ut valida Eucharistia citra unionem cum praesule legitimo non detur ⁷⁶).

IV

DE SACRIFICIO EUCHARISTICO

quidnam apud Ignatium dici possit, quaestio est, quae sponte e praecedentibus oriri videtur: si enim Eucharistia sacrum est liturgicum, merito ulterius potest investigari, sitne etiam verum sacrificium. Nam uniuscuiusque religionis proprius isque

⁷⁵) „.....en s'éloignant de la synaxe commune et en tenant des conventicules schismatiques, ils s'attaquaient à l'unité de l'Église. Au contraire, Ignace montre dans l'Eucharistie....pour l'Église le principe de l'unité et de la concorde.“ J. T i x e r o n t, Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne, Paris¹⁰ 1924,148.

Mirum est, quo pacto, quidnam valeret Eucharistia pro unione Ecclesiae efficienda, latuerit quosdam auctores de Ignatio scribentes. Sic v. gr. H. S c h l i e r, Religionsgeschichtliche Untersuchungen zu den Ignatiusbriefen, Giessen 1929,100 haec tantum habet: „Die Einheit der Gemeinde hat ihre Wirklichkeit in der Bewegung des Kultus, genauer: im Kultlied, im Hymnus“ (!). Non solus enim locus Ephes 4,2 de unitate tractat.

⁷⁶) „Współuczestnictwo w liturgii i Eucharystii... (jest dla św. Ignacego)... nie tylko przejawem solidarności wiernych, lecz ścisłym zobowiązaniem do należytej łączności z przedstawicielami hierarchii, skupionymi przy osobie biskupa miejscowego“. Ks. A. P a w ł o w s k i, Eucharystia jako sakrament solidarności chrześcijańskiej, Warszawa 1936,27.

praestantissimus actus est sacrificium. Plurimum autem valere Eucharistiam in fidelium vita iam ex hucusque citatis locis Ignatianis vel luculentissime apparet.

Eucharistiam nusquam apud Ignatium expresso sacrificii vocabulo nuncupari ultro fatendum est. At quod nomine quidem proprio haud designatur, aliis ex notis sat clare apparet. Quas notas in unum colligamus nunc oportet.

A) De Iesu Christo Summo Pontifice et quidem Novi Foederis, qui Legis Antiquae sacerdotibus opponitur, haec legimus;

„Boni etiam sacerdotes, praestantius quid autem (est) summus pontifex, cui sancta sanctorum sunt credita, cui soli Dei arcana sunt credita: ipse est ianua Patris, per quam intrant Abraham, et Isaac et Iacob et prophetae et apostoli et ecclesia. Omnia haec ad unionem cum Deo (perficiendam inserviunt) ⁷⁷⁾.

Summa igitur sacerdotii Iesu Christi excellentia clare heic manifestatur. Sed ubinam hoc Christi sacerdotium exerceatur, ulterius quaerendum est. En mediatoris officium verbis ex liturgia desumptis adumbratum:

„Sicut igitur Dominus, cum esset unicus, nihil fecit sine Patre, neque per semetipsum neque per apostolos: ita nec vos sine episcopo et presbyteris quicquam agatis nec conemini, ut quicquam separatim (factum) appareat vobis consentaneum, sed simul vobis (sit) una oratio, una mens, una spes in caritate, in gaudio irreprehensibili, quod est Iesus Christus, quo nihil melius est. Omnes concurrite velut in unum templum Dei, velut ad unum altare, ad

⁷⁷⁾ „καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς, κρεῖσσον δὲ ὁ ἀρχιερεὺς ὁ πεπιστευμένος τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ὃς μόνος πεπίστευται τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ ὡς Θύρα τοῦ Πατρὸς, δι' ἧς εἰσερχονται Ἀβραάμ, καὶ Ἰσαάκ, καὶ Ἰακώβ, καὶ οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι καὶ ἡ ἐκκλησία. πάντα ταῦτα εἰς ἐνότητα Θεοῦ. Philad 9,1 FUNK 1,272 MG 5,704 RJ 61.

unum Iesum Christum, ab uno Patre proveniente et cum uno existentem et regressum⁷⁸⁾.

Unica Christi mediatio datur hominibus, ut cum Deo Patre uniantur, et ita quidem, ut ipse sit veluti templum et altare, spirituale utique, quo Deo honor debitus, dignus, unicus reddi possit. Si igitur ea, quae supra de substantiali, non virtuali tantum, Christi praesentia in Eucharistia declaranda curavimus⁷⁹⁾, in memoriam revocamus, sponte oritur quaestio, ubinam melius possit Christus concipi ut Pontifex simul et altare spirituale, nisi in Eucharistia tamquam sacrificio⁸⁰⁾.

B) De altari deque cibo exinde sumendo

iam plura passim supra citavimus, sed tota materia haec denuo nobis tractanda obvenit. Agitur enim de duabus notionibus, quae certo ad sacrificium quodlibet pertinent: de ara et dape sacra.

Non semel utitur Ignatius voce θυσιαστήριον, quam „aram sacrificii“ (θυσία) recte convertere oportet⁸¹⁾. Si ad solam Eucharistiam usus huius vocabuli in epistulis Ignatianis restringeretur, de sacrificiali Eucharistiae indole nullum esset dubium.

Sed singulos locos inspiciamus:

„Qui intra altare est, mundus est;
qui vero extra altare est, non est mundus;
hoc est:

78) „ὡσπερ ὁν ὁ Κύριος ἄνευ τοῦ Πατρὸς οὐδὲν ἐπέτησεν, ἡνωμένως ὢν, οὔτε δι' ἑαυτοῦ οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων, οὕτως μηδὲ ἡμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε. μηδὲ πειράσσετε εἰλογον τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ἡμῖν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχή, μία δέησις, εἰς νοῦς, μία ἐλπίς ἐν ἀγάπῃ, ἐν τῇ χαρᾷ τῇ ἀμώμῳ, ὃ ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστός, οὗ ἄμεινον εὐθὲν ἐστίν. 2. Πάντες ὡς εἰς ἓνα ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ἐπὶ ἓνα Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν ἄφ' ἑἰδὸς Πατρὸς προσελθόντα καὶ εἰς ἓνα ὄντα καὶ χωρῆσαντα“. Magn 7 FUNK 1,224/236 MG 5,668.

79) Cf. supra, 60 sq.

80) Cf. Fr. S. R e n z, Opfercharakter..., op. cit., 38—40.

81) Quantopere notio sacrificii, et quidem cruentae immolationis, cum hoc vocabulo coniuncta sit in mente Ignatii, vel optime elucet e pulchra imagine in Rom 2,2, ubi futurum martyrium adumbratur terminis sacrificialibus.

qui sine episcopo et presbyterorum collegio et diaconis
quicquam agit,

hic non est mundus in conscientia⁸²⁾.

Uti iam supra mentionem fecimus, significatio „altaris“ non est
heic propria, sed metaphorica, agitur videlicet de ecclesia
uniuscuiusque loci, At si quaeritur, undenam imago illa sit
hausta, respondendum est liturgiam, et quidem sacrificalem
penes altare genuinum factam a ministris sacris heic enumera-
tis, imagini illi originem dedisse.

Multo magis propriae vocabuli significationi hic usus
accedit:

„Nemo in errorem inducatur! Si quis intra altare non sit,
pane Dei privatur“⁸³⁾.

Prima species eucharistica — „panis Dei“ — heic cum ara co-
necti videtur. Sed simplici huic interpretationi tum Ignatianus
usus metaphoricus vocis *θυσιαστήριον* tum praepositio *ἐν τῷ* contra-
dicit. Sumiturne imago de loco sacro saepto et ocluso, quem
et Iudaeorum et Graecorum religio optime noverat? Equidem
magis vero simile censeo heic addesse frequentem apud Igna-
tium brachylogicam imaginum „superimpositionem“, nempe
heic in unum confluere duas notiones: altaris metaphoric
(= ecclesiae unitae et episcopo subordinatae) et arae sacrificii
eucharistici. Sensum igitur huius propositionis fas est ita pluri-
bus verbis exponere: „Qui visibilem non retinet unitatem cum
ecclesia, quae in eius participatione in sacro eucharistico pro-
pe unum altare faciendo manifestatur, ille eucharistico pane
Dei privatur“. Quam explicandi rationem vel id confirmat,
quod Docetis obiicitur (Smyrn 7,1).

Denique locum maximi momenti examinemus:

„Curate, ut una eucharistia utamini:

Una est enim caro Domini nostri Iesu Christi

et unus calix uniendo sanguini Eius,

unum a l t a r e,

⁸²⁾ Trall 7,2 cf. textum Graecum supra, 66 ad ⁷⁴⁾.

⁸³⁾ Ephes 5,2 cf. Graece supra, 53 ad ²⁹⁾.

sicut unus episcopus una cum presbyterorum collegio et dioconis, conservis meis⁸⁴).

Verba haec qui legerit, nullo iudicio anticipato, heic sacrificium eucharisticum saltem innui pro sententia probabili habebit⁸⁵). Liceat autem nobis eam omnium vero simillimam esse his argumentis probare.

Etsi Ignatium voce *θυσιαστήριον* etiam in sensu figurato uti pro certo habeamus, tamen huius loci sensus proprius potius esse apparet. Nam vox illa pari linea — ut ita dicam — cum concretis vocabulis „carnis et sanguinis Domini“ ponitur in primo membro parallelo, in altero demum hierarchia enumeratur. Talem igitur imaginem fas est supponere in mente Ignatii: aram sacrificii cum speciebus eucharisticis circumdatam a ministris sacris triplicis gradus⁸⁶). Quae quidem imago cum praecedenti apprime quadrat necnon ceteris notionibus Ignatianis consentanea est. Suppositio autem, quae Ignatium altaris Veteris Legis reminisci vult et sensu figurato vocem adhibere, parum probabilis videtur. Nam Antiochenus Antistes, qui iudaeizantium propensiones alibi acriter carpit⁸⁷). Graecis vero recens conversis apte proponere solet imagines notionesque optime notas⁸⁸), hanc quidem epistulam Philadelphiis, i.e. communitati Asiae Minoris scribit.

Ex his igitur usum vocis „altaris“ his locis, ubi de Eucharistia sermo occurrit, admissa sacrificii indole in sacro eucharistico vel optime explicari patet, sensu videlicet proprio.

⁸⁴) Cf. textum Graecum supra, 55 ad ⁸⁵).

⁸⁵) Ita v. gr. licet acatholicus — Tth. Z a h n, Ignatius von Antiochien, op. cit., 340.

⁸⁶) „Cum Irenaeus Adv. haer. IV, 18,6 de eucharistia agens, de altari spiritualiter loquatur, Lightfoot Ignatium similiter intellegendum esse censet. Equidem non video, cur pater de eucharistia vel cena Domini atque de altari dicens non etiam tabulam cenae in mente habuerit.“ FUNK 1,267.

⁸⁷) Cf. Philad 6,1; Magn 10,2,3.

⁸⁸) Cf. v. gr. vocabula *θεσφόροι, νασφόροι, ἀγιοφόροι, κατὰ πάντα κεκοσμημένοι* Ephes 9,2, quae omnia e mysteriis Graecis desumpta sunt.

C. De Eucharistia et Passione Domini

simul coniunctis tractatisque ab Ignatio novum quoddam argumentum, quod Eucharistiae indolem tribuit sacrificii, iure meritoque petendum est.

Primum igitur ea, quae supra (pag. 43) de arcanis Eucharistiae nominibus dicta sunt, in memoriam revocemus, examinantes videlicet significationem vocis „passio“ Domini (πάθος), quae his in textibus obvenit:

„Nolite errare, fratres mei, qui discidium facienti comitatur regnum Dei heres non obtinebit, si quis aliena doctrina ambulat, passionis particeps non est“⁸⁹⁾.

Et statim sequitur bene nobis nota admonitio: „Curate, ut una Eucharistia utamini“ (Philad 4,1).⁹⁰⁾ Quid sibi vult ista participatio in passione? Vel de eo agitur, quod haereticus quilibet redemptionis fructus non lucratur, vel idem dicitur privari participatione in Eucharistia, quae est „memoriale mortis Domini“. Et hanc quidem explicationem altera versimiliorem esse suadent tum verbum *συγκατατίθεται*, quod veram aliquam participationem denotat⁹¹⁾, tum ipsa oratio contexta. Sententia enim, quam examinamus, explicatur demum in consequenti propositione, quae est veluti conclusio (*σπουδάσατε οὖν*). Pluribus verbis hanc ratiocinationem ita fas est exhibere: „Qui alienam sectatur doctrinam, a communionem eucharistica abstineat necesse est, quod quidem facere solent Docetae; vos igitur, si discidium quodlibet evitare vultis, uni tantum sacro eucharistico intersitis!“.

De cryptonyma vocis *πάθος* significatione, et quidem eucharistica, etiam hic locus testari videtur:

„Quid enim me quisquam iuvat, si me laudat, Dominum vero meum blasphemat, cum non confiteatur Eum carnem

⁸⁹⁾ „μή πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου, εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομεῖ, εἴ τις ἐν ἄλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται.“
Philad 3,3 FUNK 1,266 MG 5,700 RJ 56.

⁹⁰⁾ Cf. textum Graecum supra, 56 ad ⁸⁹⁾.

⁹¹⁾ Cf. Exod. 23,1.32; Dan 1,20; Lc 23,51; 2 Cor 6,15—16 quos locos citat FUNK 1,267.

habere? ...Nomina eorum utpote infidelia ne scribere quidem visum est mihi. Et absit a me, ut eorum mentionem faciam, dum resipiscant in passionem quae est resurrectio nostra⁹²⁾.

Arguit heic Antistes Docetas crimine incredulitatis, deinde eorum conversionem exoptat. In quonam ipsa consistat, hoc loco non declarat. Agiturne de sola fide Incarnationis proindeque Redemptionis, quae intercedente vera atque cruenta morte, non vero apparenti facta est? Fortasse ita intellegendum est. Sed duo velim animadvertamus. Paulo post (Smyrn 7,1) legimus perquam nota verba de Docetarum abstinencia ab Eucharistia celebranda, in quibus iterum finem versus recurrunt verba de resurrectione: „donum igitur Dei negantes moriuntur scrutando. Praestaret ipsis cum caritate Eucharistiae interesse, ut et ipsi resurgerent“⁹³⁾. Admissa igitur eucharistica significatione arcani vocabuli „passionis Domini“ clarior evadit praecedens notio „passionis, quae est resurrectio nostra“.

Sed nexus Eucharistiam inter et Domini passionem vel optime ex hac sententia elucet: „eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Iesu Christi, p a s s a m pro peccatis nostris, quam Pater in bonitate sua suscitavit“ (Smyrn 7,1)⁹⁴⁾. His verbis crux Calvariae et Eucharistia mirum quantum inter se appropinquant.

Nunc si omnia, quae de Christo Summo Pontifice, de altari ciboque ex eo sumendo, de passa Christi carne eucharistica supra exponenda curavimus, in unum colligimus, talis fere conclusio videtur esse legitima: eatenus Eucharistia apud Ignatium indolem sacrificii prae se fert, quatenus in ipsa Christus, Summus Pontifex, carne sua passa et resuscitata, itemque sanguine suo,

⁹²⁾ „τί γάρ με ὠφελεῖ τις, εἰ ἐμὲ ἐπαινεῖ, τὸν δὲ Κόριόν μου βλασφημῶ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον; ...3. τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν, ὄντα ἄπιστα, οὐκ ἔδοξέν μοι ἐγγράψαι. ἀλλὰ μὴδὲ γένοιτό μοι αὐτῶν μνημονεύειν, μέχρις οὗ μετανοήσωσιν εἰς τὸ πάθος, ὃ ἐστὶν ἡμῶν ἀνάστασις“. Smyrn 5,2.3 FUNK 1,280 MG 5,712.

⁹³⁾ Cf. supra, 51.55. Quo modo mors et vita cum Eucharistia coniungantur, mox explanabimus locum ad Ephes 20,2 examinaturi.

⁹⁴⁾ Cf. supra, 55, ad ⁹²⁾.

sub speciebus eucharisticis alit fidelium animas⁹⁵). Seu — ut magis figurate loquar — haec, quae citata sunt, fragmenta passim sparsa totam quidem sacrificii imaginem nondum efficiunt, sed unaquaeque imaginis reconstructae pars vel optime explicatur, si ad sacrificium supponitur pertinere.

V

DE EUCHARISTIAE FRUCTU SPIRITUALI

ultimo loco tractamus, non quasi res esset minimi momenti aut perpauca dixisset de ea Ignatius, sed solummodo ordinis logici servandi causa, quaestio nempe haec fluit ex praecedentibus eaque quodammodo coronat.

Locus praestantissimus omnium hic est:

„Unum panem frangentes, qui est immortalitatis medicamentum, antidotum, ne quis moriatur, sed vivat semper in Iesu Christo“. (Ephes 20,2)⁹⁶.

Quibus in verbis nemo est, qui non audiat reperi imaginem magni sermonis eucharistici (Ioh 6), praecipue vero horum: „Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur... Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita“ (Ioh 6,50.52). Etsi brevissima, haec Ignatiana sententia duo, et quidem maximi momenti, clare manifestat; nempe nexum inter signum et spiritualem effectum necnon indolem omnino supernaturalem huius effectus — vitam videlicet in Christo Iesu. Eucharistia est igitur, quod attinet animas singulorum fidelium, remedium perseverandi in vita supernaturali.

⁹⁵) „Da nun Christus als „σάρξ παθοῦσα“ der Hohepriester der Welt ist und in der Eucharistie vom „Altare“ her als Nahrung gereicht wird, so hat die Eucharistie nach der Lehre des Ignatius insofern O p f e r c h a r a k t e r, als Jesus selbst wesentlich als der durch leidendes Blutvergiessen zur Nahrung Immutierte gegenwärtig gesetzt und durch die Gestalten von Brot und Wein erkennbar ist.“ Fr. S. R e n z, Opfercharakter..., op. cit., 43.

⁹⁶) Cf. textum Graecum supra, 53 ad ⁹⁶).

Sed ulterius forsitan quaerendum: de qua morte qualive vita cogitaverit heic Ignatius, seu utrum restringatur effectus Eucharistiae ad spirituales tantum fructus et quidem durante hac vita terrestri necne. Si ii loci, ubi Ignatius de Eucharistia locutus usus est verbis *ἀνάστασις* vel *ἀνίστημι*: attentius considerantur ⁹⁷⁾, omnino probabilis fit eorum sententia, qui Ignatium iterum imaginem sermonis eucharistici, praesertim verborum: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die“ (Ioh 6.54), referre censent ideoque effectum Eucharistiae etiam ad corpora fidelium extendi opinantur ⁹⁸⁾. Quod cum ita sit, Eucharistia t o t i homini praebet vitam supernaturalem, quae durante hac vita manifestatur dono perseverantiae in vita spirituali, universali autem corporum resurrectione peracta tandem aliquando etiam in corporibus erit manifesta.

Ad spirituales fructus mensae eucharisticae certo pertinent ea, quae de fide deque caritate inflammanda iam supra diximus, dum de terminis probabilibus disgresseramus ⁹⁹⁾.

Nunc demum postquam Ignatianam potius quam nostram, theologorum scilicet recentioris aetatis, mentem secuti sumus in id incumbentes, ut, quid apud Antiochenum Antistitem esset Eucharistia fideliter exponeremus, nunc perorandi gratia de sacramentali Eucharistiae indole pauca verba liceat nobis facere. Nam etsi terminus technicus sacramenti (*μυστήριον*) nondum sit formatus temporibus Ignatii, tamen omnia huius notionis elementa, quod Eucharistiam attinet, ex iis, quae supra expla-

⁹⁷⁾ Cf. Smyrn 5,3 (Graece: supra, 73 ad ⁹⁵⁾. et 7,1 (supra, 51 ad ²⁷⁾).

⁹⁸⁾ „...il faut que notre corps mortel prenne contact avec la chair vivifiante du Christ. Sans cette union-là, nous n'avons pas la vie en nous et nous ne serons pas resuscités au dernier jour. Cette parole du Christ a été prise à la lettre par ses interprètes les plus autorisés, depuis St. I g n a c e d'Antioche...“ J. L e b r e t o n, Eucharistie, art. in DAF 1,1583; cf. etiam G. B a r e i l l e, DTC 5,1127, J. N i c o l u s s i, Die Notwendigkeit der hl. Eucharistie, Bozen 1917,20 n.

⁹⁹⁾ Cf. supra, 47—50, ubi examini subiciuntur loci: Ephes 1,1; Smyrn 1,1; Trall 8,1.

navimus, adesse certo probari possunt. Itaque: 1) a Deo seu Christo eam esse institutam patet tum ex praedicatis „panis Dei“ (Rom 7,3; Ephes 5,2) vel „doni Dei“ (Smyrn 7,1) tum ex eo, quod secus vix credidisset Ignatius realem Christi adesse praesentiam; 2) signum sensibile utraque specie sumenda clare manifestatur; 3) gratiam significare et reapse producere demonstrant ii omnes loci, quos de effectu tractantes, citavimus. Est igitur apud Ignatium Eucharistia verum, licet proprio vocabulo nondum insignitum, sacramentum.

Haec fere habui, quae de Eucharistia apud Ignatium dicerem.

Hodie omni paene temporis puncto, dum toto orbe terrarum sacrum eucharisticum a sescentis sacerdotibus ritu Romano celebratur, brevi post verba consecrationis nomen Sancti Ignatii Antiocheni pronuntiatur. Quod sane, quantum olim Romani illustre Praesulis Syriae martyrium admirati sint, est monumentum perenne. Sed idem et nunc erga eum, qui tam pretiosa de Eucharistia testatus est, indicium gratitudinis Ecclesiae Catholicae merito cēseri potest.